

De hac quaestione, an mortis certa signa? : thesis quam, Deo favente, in aula majore saluberrimae Facultatis, competitorum disputationibus submissam, tueri conabitur die [...] Decembris, anno M.DCCC.XXVI / P.A. West.

Contributors

West, Philippe Auguste.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Parisiis : Ex typographia E. Duverger, 1826.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/uqx7upku>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

10

COAPTATIONIS PETENDÆ CAUSA
INTER
SALUBERRIMÆ FACULTATIS MEDICÆ PARISIENSIS AGGREGATOS
COMPETITIO
EX MANDATO
SUMMI RERUM ECCLESIASTICARUM
ET INSTRUCTIONIS PUBLICÆ MINISTRI FORMATA,
ANNO M DCCC XXVI.

DE HAC QUÆSTIONE : *AN MORTIS CERTA SIGNA?*

THESIS

QUAM, DEO FAVENTE,
IN AULA MAJORE SALUBERRIMÆ FACULTATIS,
COMPETITORUM DISPUTATIONIBUS SUBMISSAM,
TUERI CONABITUR
DIE DECEMBRIS, ANNO M DCCC XXVI,

P. A. WEST, D. M. P.

Les plus mortes morts sont les plus saines,
MONTAIGNE.

PARISIIS,

EX TYPOGRAPHIA E. DUVERGER,

VIA VULGO DE VERNEUIL, N° 4.

M DCCC XXVI.

PRÆSES.	D. ESQUIROL.
JUDICES.	DD. ADELON. CAYOL. FIZEAU. FOUQUIER. RÉCAMIER. KERGARADEC. JADIOUX.
VICES-GERENTES.	DD. CHOMEL. ROCHOUX.

COMPETITORES.

DD. BAYLE.	DD. LÉGER.
BENECK.	MARTIN-SOLON.
BOUILAUD.	PIORRY.
DALMAS.	TROUSSEAU.
DANCE.	VACQUIER.
DRONSART.	VALA.
GIBERT.	WEST.
GUIBERT.	

PARIS,

EX LIBRIS DE M. LE DUC DE DUCHEZ,

N. BOCC. 1811.

THESIS.

AN MORTIS CERTA SIGNA?

VITA non est, ut sæpius dixerunt, physicas inter et organicas leges certamen; quarum contrâ omnium idoneus consensus viventium regit existentiam.

Non morti cedunt physicæ leges, quippè tribus in rerum naturæ generibus, perpetua earum fixitas et verè miranda concinnitas apparent. — Organicæ verò solæ leges morti quasi obnoxiae sunt, quùm multis subjiciantur mutationibus, perque innumerabiles casus earum fieri possit cessatio.— De *organicis* tantummodo legibus disserendum, prætermisso omni immateriali principio.

Quibus elementis vita organica? Quibus mors constat?

E certâ quâdam materiei specie seu formâ omnis organicarum legum vis diducitur, et ille materiei modus, qui dicitur *organisatio*, ex pluribus unâ conjunctis organis efficitur: vitam organicam scilicet constituit mirabile illud organorum artificium; nec complexum hunc organorum inter se concordantium motum nemo negaverit: complexa igitur et ipsa istius artificii cessatio (scilicet mors).

Nequaquam simplex et quasi unius momenti res est *Mors*, ut plures dictitârunt : etenim quum complexa sint vitæ organicæ phœnomena suaque naturâ ignota ita, de morte rem se habere haud immeritò dicendum.

Ad propositum objectum indè si redeamus, ex his quæ suprà exposuimus, surget deducta certè solutio de eâ quæ agitur questione : *an certa mortis signa?* Non esse mortis certa signa dicemus, quandò quid sit mors reipsâ maneat incertum, quandoque complexa mors præbeat phœnomena quorum alia mortem, alia simul vitam denuntiant; indè demonstrare conabimur, remotos tantummodò mortis effectus signari posse : nam in morte proximâ, vel partes quædam, corpore vivo, morte afficiuntur, vel corpus met ipsum, quibusdam partibus adhuc viventibus, reviviscendi orbatur facultate; verbi gratiâ, tūm gangrena vivum corpus partim aggreditur simul et in defuncto vitales multæ peraguntur functiones. (Adelon, *Physiologia*, vol. 4, pag. 582).

Non ea est autem vulgaris de morte definitio : absque probatione positivâ, vitâ orbatum existimant corpus in quo centrales extinctæ præcipuae functiones, quanquam possit quædam vitalia offerre phœnomena, quoniam hanc experientia confirmat sæpius incertam prævisionem. Tandem verò objectum propositum aggrediemur, conabimurque demonstrare non certa existere mortis signa quum jàm centralibus interruptis functionibus, ad vitam redditus fieri nequeat ; ea autem signa tantummodò se prodere, quum jàm in plerisque organis fugata organisatio totam destructionem probat consecuturam.

Veritatis ad inquisitionem varia functionum organa per vices secundùm physiologicam divisionem consectabimur ; studebimus statui singulorum post mortem, et similibus morborum effectibus, indicabimus et experimenta quæ ad vitæ vel mortis haud dubiam fieri possunt affirmationem.

FUNCTIONES RELATIONIS.

Relationis functiones antè alias semper cessant ; quia cerebrali ab actione eorum pendet exercitatio ; idèoque ferè illarum organa duntaxat considerabimus.

De Visu.

Mucus oculorum superficiem lubricans, non renovatus, in concretionem vertitur membranosam et pallidam in quâ hærent corpuscula ætherea, pupilla sæpissimè offert dilatationem, inter cilia levissima pulvis inhæret; oculus modò deprimitur et aliquando ad primum statum redit sanguinis affluxu in superioribus partibus. Sed in pluribus morbis sive acutis sive chronicis eadem existunt signa, insuper in ægrotantibus sæpissimè luminis fulgor nullam affert sensationem, nec iridis contractionem : ergò ex visu organis nulla certa mortis signa.

De Auditu.

Auditus cessatio nullius est pretii, quoniam pluribus existit in morbis, et quoniam prætereà solummodò mendax esse potest,

cum hystericæ mulieres auditu monitæ fuerint de funereis apparatus , nulloque motu horrorem potuerint exprimere.

De Gustu et Olfactione.

Gustus et olfactionis organa nulla offerunt signa quæ pluribus morbis haud pertineant , quamvis in animato corpore nullam sœpissimè sensationem reddant ex fortioribus incitamentis.

De Facie.

In labiis sive retractis sive labentibus nulla signa certa , nec in istis quæ ab auctore dicuntur *hippocratica* , scilicet oculorum excavatio , depressa tempora , aures frigidæ et rugatæ , nasus acutus , cutis in fronte plicata , color lividus , et refrigeratio ; eadem signa mortem et annuntiant et prosequuntur ; ergo ad mortem privatim haud pertinent . Præterea contendemus faciem , etsi quâcumque expressione careat , aut tantum deformata videatur , nullum afferre reipsâ mortis signum , quoniam in ægrotantibus quibusdam , cerebrali actione sublatâ iidem reperiantur effectus .

De Cute.

Cutis post mortem est pallida vel livida ; aliquoties tamen roseum servat colorem sicut in vivente : manus , lumine interposito , perluciditatem servat , sicut hoc quintâ promptissimam post horâ puellæ mortem , primâ hujusce mensis die animadverti .

Cutis neque arida neque humida est; contractilitatem organica-
cam amittit; hæc autem cuncta signa multis notantur in morbis
neque certam præbere possunt mortem. Mucosæ membranæ pal-
lidæ et siccatae probant tantum sanguinis glomerationem in inti-
mis organis. Si quidem cutis inflammationis fuerit sedes, tumoris,
ruborisque disparitio non certius mortem confirmat, quum talia
phœnomena in vivo non sint inaudita. Cutis tandem ex sanguine
affluente, postmortem, est sæpè ruberrima: modò igitur in vivo,
modò in defuncto, varie colorata nullum signum proprium
offert.

Ad memoriam revocabimus persæpè visam crescentem fuisse
barbam proximis mortis diebus: ideo indicium illud evidentissi-
mum servationis vitæ; quibusdam in functionibus non tamen
est signum mortis negativum.

De signis à cutis colore pendentibus, quodam elapso post mor-
tem tempore, infrà loquemur simul et de putredine. Etenim,
quum non ad singulare pertineat organum, tantummodò dissere-
mus sicut de phœnomenis quæ ad desorganisationem spectant.

De Innervatione.

Non hic locus est enumerationis casuum in quibus omnino ces-
sant intelligentiae facultates. Illæ verò etsi absentes, nullius sunt
pretii in indicatione mortis. Quandò quidem nulla superesset
cerebralis functio etiam et vitæ organicæ systematis innervatio,
quandòque propterea cordis pulsus necnon respiratio cessarent,

non inde merito concluderetur mortem esse certam, quoniam functiones illae aliquantisper dormitare, ut ita dicam, possint, quoniam adhuc ac post mortem organicæ quædam superesse possint functiones, sicut infrà dicemus.

De Motilitate.

In musculis post mortem superveniunt maximè præcipua phœnomena, quæ apud vivum nunquam notantur; illa tamen haud summo jure denuntiant desorganisationem.

De Rigiditate.

Rigiditas cadaverum ea est muscularum contractio quæ post longum minimumve tempus supervenit, et quæ, cunctas cadaveris partes contendens, ea in præsenti positione stabiliter continet. Lentè gradatimque fit contractio illa, sine ullâ loci mutatione, sive non sit sat potens quæ membrum amoveat, sive contrariæ contractiones ponderi superadduntur.

Rigiditas de collo ad truncum, de superioribus ad membra progreditur abdominalia; in cadaveribus morte promptâ percussis, vi maximâ maximâque rapiditate irrumpit contractio; lento contrâ ferè quidem insensibili gradu procedit in cadaveribus quæ morbus diuturnus debilitavit.

Si semel contractionis rigorem viceritis, deletur, pondusque membra jam solum fit obstaculum. Contractio hæc rigor

passivo ab convulsivis differt contractionibus , quæ activè resistunt, amotumque ad priorem locum membrum reducunt. Rigiditas convulsiva , post mortem perseverans, difficillimè distinguitur ; non enim constat rigiditatem post refrigerationem venire : circumstanciis ergò quæ mortem comitantur tantùm distingui potest contractio resistens ægrotantium , ipsamet rigiditate cadaverum.

In asphyxiâ , musculi hanc , primâ specie , offerunt contractionem quæ vitam potius quàm mortem annuntiat. Signis ergò istius morbi simul et activâ contractionis resistentiâ indicatur differentia.

A congelatione discernitur contractio , quia adipatæ partes duritiem servant et quia crepitus ab effractione liquidorum congelatorum audiri potest, victâ istâ rigiditate. Seriùs initium desorganisationis muscorum hujus primùm rigiditatis producit relaxationem quæ aliquando secundâ , tertiâve horâ post mortem interveni dissipaturque.

Generatim creditur rigiditatem solummodo oriri quandò corporis cessat calor. Nos autem nuperrimâ cadaveris inspectione , quod , linteis tectum , calorem omnino servaverat , phœnomenum hoc absque refrigeratione supervenire certiores facti sumus. *Post hoc propter hoc.* Ea est hujus erroris causa. Quod probat quàm falsa sit opinio contendentium rigiditatem cadavericam solummodo consistere in condensatione cunctarum partium mollium ab ipso facto refrigerationis.

Consentiamus ergò rigiditatem verè phœnomenum cadavericæ

vitæ , quæ nec vita est nec desorganitatio , illudque esse maximè conspicuum inter phœnomena quæ mortem subsequuntur.

Non possumus tamen hanc habere signum certum : etenim aliquoties tenuissima est et dubia , plures post horas apparet ; saepius promptissima evanescit , ideoque in cadaveris muscularis non inhærens est neque necessaria.

Conspicuum est muscularis systematis quoddam phœnomenum , scilicet musculi galvanicam sentiunt irritationem donec remanet calor vitalis. Non hic locus est ad hoc factas in corporibus capite truncatis enumerandi experientias , quæ physiologicas inductiones suggesserunt falsissimas. Supererat in cadavere proprietas affinis proprietati quæ ad galvanicam affectionem viventis submittit musculos ; inde concluserunt sensibilitatis functiones itidem superfuturas , quamquam probationem vel minimam asserre nequierint. Sed opinio ista consequentia est hujus falsæ de morte definitionis : mors etenim , quam dicunt momentaneam transitionem , certus est contrà continuus vitium discessus proprietatum , perfectiores quarum primò delentur , aliæ quum sint secundariæ in organisationis formâ , ad vitam recipiendum potius quam ad constituendum.

Si irritatio galvanica musculos contrahit , facultas illa ad exiguum tempus durat ; rigiditate cessat superveniente. Hoc experimentum inter omnia maximi est pretii ad certificandam mortem , quamvis jam sit illa procul.

De Attitudine.

In cadaveris attitudine animadvertisit tantum concessio cunctarum partium proprio ponderi, inertique resistantiae. Signum illud equidem innervationis interruptionem, non mortem, indicat. Qui syncope ægrotantes observaverit, observaverit et hanc relaxationem, inferioresque maxillares procidentes, et femoris ad externum rotationem.

Vocem reipsâ prodere cadavera nequeunt, notandum est autem è pectore aliquoties sonitum exire propter expulsionem elasticorum fluidorum, quorum compressio organa respirationis implevit quoadusquè bronchiarum laryngisve physicam coactionem, et alia impedimenta perfringerit, simulque producerit thoracis reductionem, et aeris crepitum sonumve modulatum quem incauti suspiria crederent.

FUNCTIONES NUTRITIONIS.

Nutritionis functiones in inquisitionem signorum mortis minoris sunt momenti, quoniam inter illas permultæ post mortem quemdam modum vitæ, ut ita dicam, trahunt, nec jam moriuntur. Attamen phœnomena ista forsitan cadaveri propria esse possunt, sicut et rigiditas cadaverum in musculis: singulatim ergò eas exponemus.

De Digestione.

Quædam chemica phœnomena per vitam in digestione aguntur nimirum perobscura, ut de illis insolenter disseramus, præsertim quum ea non valeamus attingere. Inter alia deglutitionis absentia haud rarissimè invenitur in syncope et aliis morbis; quod ad ventriculi et intestinorum contractilitatem organicam attinet, de hoc varie agitur. Enimverò, morte aveniente, statim organicam contractilitatem magis atque magis fieri activam, demonstrant in animalibus vivis experientiae, scilicet moles intestinalis evidentes offert contractiones atque frequentiores quam in vivo. Phœnomenum illud quod ab innervatione pendet, maximè conspicuum est, eratque notandum; fateri autem debemus nos non posse affirmare illud esse et idem, cum mors non est præceps, idemque fieri apud varia animalia atque apud hominem. Signum imò illud eò magis dubium foret, quò effectus, non sint visibles, et ideo signum non præbeant notabile.

Fluidorum egestio et gazorum quæ continet stomachus, organa illa non jam alimenta continere posse indicat, totamque nuntiat vitæ amissionem, quoniam tumefactio abdominis quæ aliquando mortem prosequitur sufficiens est quæ adeò comprimat stomachum, ut liquida spumosa saniosaque expellat. Multum abest autem ut hæc signa certa sint.

De Venis.

In hoc systemate, quum sanguinis fluxus à corde, arteriarumque contractilitate pendeat, vitæ cessatio, nullam quæ facile animadvertisatur, affert mutationem. Sanguinis color semper idem. Venarum autem minor est quam aliarum circulationis viarum resistentia, ideoque post mortem impleri solent. Sæpissimè etiam præcipuis in venis major est affluxus. Phlebotomiâ tentamen fieri potest; nunquam autem certa probatio: etenim post hanc in defuncto operationem, sanguinem equidem erumpentem vidi, in syncope verò atque asphyxiâ nulla est circulatio, sanguisque venâ sectâ non foras irruit.

De Respiratione.

Hoc diù crediderunt, scilicet respirationem non omnino interruptam esse in illis qui ad vitam revocari poterant; submersi autem qui, quamquam pluribus horis sub aquâ fuere, iterum vixerunt, contraria probationem: ita in vase liquoris immobilitas, etsi in latere thoracis superposito, et speculum ante os suspensum vapore condensato etiam non maculatum, certissimè respirationem negant; et tamen in vivis facta sunt hæc experimenta.

De Corde.

Nullum ex cordis pulsibus signum inducendum, quum functionum centralium, scilicet cerebri, pulmonum et cordis

metipsi interruptio fieri queat quin et vita servetur. Hic tantum annotabimus auditionis utilitatem ad minimos pulsus percipientes. Non loqueremur de sententiâ eorum qui per incisionem intercostalem cor denudandum existimârunt sin recentiorem experientiam anglicam **haud** voluisse commemorare, scilicet, animal asphyxiâ suffocatum ad vitam posse revocari, instimulando cor cum stylo quod per venam introducetur jugularem.

Quum arteriae solum agunt influentia contractionum cordis quod earum præcipue sollicitat renixum, ex totâ pulsationum interruptione nullo modo concludi potest. Sanguinis color aspicitur solum in capillaribus venis mucosarum membranarum, illudque sicut et respirationis signum, nullius est pretii, nam in syncope et aliis iidem videntur effectus.

De Exhalatione.

Post mortem exhalatio fieri potest in plerisque organis, semper tamen fit vitiosè. Fetidum cutis humorem exhalat; non autem naturalis est sudor. Membranæ mucosæ sæpius sunt sanguinolentæ sedes exsudationis quæ naturalibus viis foras ejicitur. De bronchialibus disservimus jam exhalationibus; signa autem hæc omnino sunt fortuita.

Subflavus color ille, quo persæpè inficitur cutis, absorptione fit et exhalatione; de internis exhalationibus dicendum est.

Multorum equidem fluidorum interrumpuntur secretiones,

quod etiam in vivis accidit. De bilis regurgitatione sumus locuti. Urina excreta haud infirmat mortem : etenim contractilitas vesicæ organica, elasticorumque compressio fluidorum suprà vesicam , post mortem , urinam queunt expellere.

De Nutritione.

Intima nutritionis arcana adire nequimus : illis ergò nulla signa deducenda.

De Calorificatione.

Colorificatio una è nutritionis functionibus quæ non statim post mortem cessant. Apud quosdam parum durat; apud alios vigesimam post horam permanet, præsertim in morbis maximè violentibus, exempli gratiâ in asphyxyâ carbone effectâ, strangulatione et apoplexiâ. Cessat contrà citò in ægrotantibus qui morbis debilitantur diuturnis, vel in defunctis adveniente hæmorrhagiâ.

Refrigerationem putamus cadaveris non esse consequentiam simplicis submissam phœnomeni, quod corporis moles, tempes- ries ambiens, calorisque gradus variis cum ætatibus conveniens tantummodo modificantur.

Attamen , quoniam physiologicis phœnomenis evidenter demonstratur calorificationem functionem esse respirationi affinem, concedenda est consequentia hæc , scilicet interruptâ respira- tione, calor gradatim deleri. Cæterùm istis in factis firmum

nullum animadvertisit signum : aliquoties præterea in vivo densior rapidiorque quām in cadavere notatur refrigeratio , in algidis intermittentibus febribus, in hysteriā vel in syncope : ergò nullum certum in refrigeratione cadaveris signum.

FUNCTIONES GENERATIONIS.

Organa genitalia, in ordinario statu, nullius pretii signum offerunt. In fæminâ tantū per graviditatem vel post partum, conspicua aliquot uterus præbet phœnomena. Si mulier prægnans vitam amiserit, diù durat contractilitas in fibris uteri muscularibus. Hoc experientia nobis persæpè probavit, quūm, vigesimâ post mortem horâ, cadavere secto, uterum vidimus ferè omnino sese contrahentem, post fœtūs extractionem et aquarum amnioticarum effluxum, quovis graviditatis tempore. Novissimâ morte, quūm extremam mater efflaret auram, septies operationem operatus sum cæsaream, et semper in utero eamdem quam in vivo corpore contractilitatis vim notavi, quūm, in Maternitatis nosocomio, bis me adjuvante effecta fuit illa operatio, quam si fieri jubent artis præcepta, post recentem obitum, eadem cum curâ quam in vivente, fatebimur nos hæc fuisse præcepta secutos eò conscientius quò corpus vivens secare crederemus. Etenim, animalis calor, circulatio capillaris potensque contractilitas quæ tūm permanent, hanc in mente nostrâ infigebant convictionem, scilicet mortem illam novitatem suâ non adhuc mortem esse, quanquam et intelligentiæ et sensuum delerentur certè functiones. Quām potentior verò sup-

peditatur convictio mortis, nisi incertæ, saltem haud integræ, quùm in defunctæ utero vita metipsa reperitur! etenim pueri, matris post mortem extracti, ad vitam sunt sæpius revocati.

Indè consequitur, generationis functiones, extrà terminum ab illa fixum permanentes, vitam permiscent cum morte, nedùm mortis signa certa suppeditent.

DE ÆTATIBUS.

Pauca dicemus de ætatibus quùm minimas tantùm differentias afferre valeant in hæc quæ jam descriptsimus mortis recentis phœnomena.

De fœtu intrà matris uterum inclusò, maximi foret momenti certa dare signa per quæ hujus vita, hujus mors affirmaretur: etenim de illo dubio sequitur modò defunctum fœtum detruncatum aut incautâ manu læsum fuisse. Sed quæ signa quùm cuncta sint commemorativa, aut tantummodò remota, ad objectum haud pertinent. Stethoscopi utilitatem in detegendas cordis pulsationes vix affirmare valemus.

Recèns nati vitam aut mortem certè designare nunquam potuerunt quùm jam per impedimenta difficilis partûs, asphyxia dubia supervenerit; nos sæpissimè, nullo vitæ signo reperto, haud infructuosam dedimus operam in fovendo et insufflando puerculo quem vitâ orbatum credideramus et quem derelictum mors non perdidisset. Pluribus post horis perobscuræ cordis pulsationes, indè suspiria et aliæ renascuntur functiones.

CONCLUSIO.

In quæstione distinctionem merè cautam attulissemus, an mortis ~~proximæ~~, an remotæ certa signa: sed intelligenda non erat hujusce pars secunda, quùm absurdum foret. Quis etenim in dubium revocare posset de morte remotâ certitudinem? de ~~proximâ~~ verò quidquid scripsimus expressè probat *non esse certa signa*, si per verbum hoc *certa* significantur quæ nunquam deesse possunt. Atqui hæc sola admittenda fuit significatio quùm nemo certè dubitasset sæpissimè et mortis recentissimæ signa certa existere; ergò et mortis non certa signa probavimus, et contrà disputationes tueri parati sumus.

Sia autem ad forensis medicinæ dissertationem, haud ad physiologicam merè opinionem agitandam appellati suissemus, proximæ mortis incerta signa, procul remotæ certa, non demonstrâssemus; ea autem describere contendissemus phœnomena quæ gradatim ægrotanlis morientisve jamjam invadunt organa et in pulverem posteà revertunt. Hoc in desorganisationis gradu tantummodo mortem physiologicè intelligendam existimamus, et eam ferè ab omnibus acceptam mortis opinionem denuntiamus sicut unam inter alias rerum naturalium divisiones quæ sæpius in illis finguntur; tales divisiones et metas quùm metipsa natura repudiet, et ipsi debent tollere physiologici.

Hujusce demùm operis rapidioris et incomptioris finem con-

sequamur, nec nos pœnitentia eam cepisse solutionem locorum
temporumve experientiâ haud infirmatam, siquidem permulta in
Winslow, Bruhier et aliorum scriptis exempla vigeant eorum
qui non mortis certa signa expertes etiam contenderunt.

FINIS.

